

In articulo sexto ostendit malum culpæ habere plus de ratione mali, quam pœnam: tum quia per culpam redditur aliquis simpliciter malus, non per pœnam; sed per hoc quod sit dignus pœna: tum quia malum culpæ contrariatur Deo, cujus voluntatem non implet, pœna autem bono creato, quod tollit ab aliquo.

QUÆSTIO XLIX.

DE CAUSA MALI.

SUMMA LITTERÆ.

Tria facit in hac quæstione. In articulo primo inquit an bonum possit esse causa mali. Et docet, quod malum habet ex parte causæ materialis bonum, ut dictum est, ex parte causæ formalis non habet bonum pro forma, sed defectum boni. Ex parte causæ agentis habet causam per accidens, scilicet efficiens cum defectu alicujus principii aut impedimento alicujus causæ.

In articulo secundo docet quod summum bonum, id est, Deus, non est causa mali in operationibus, quia nullo modo est agens defectuosum, nec radix defectus in agentibus. Mali autem quod est in effectibus (sicut est corruptio aliorum, et malum pœnæ) bene potest Deus esse causa ex consequenti, quatenus ordo universi non potest conservari sine aliquarum rerum corruptione.

In articulo tertio ostendit non posse dari unum primum principium malum, seu summum malum, tum quia debet habere aliquam entitatem, alias esset nihil, et pro hac parte aliquid bonitatis retinere; tum quia nulum est malum quod integre consumat omne bonum: sic enim se destrueret, cum maneret nihil; et sic implicat malum esse summum, id est, sine ullo bono, et sine ullo ente; tum quia malum semper supponit aliquid bonum, ex quo tamquam ex causa saltem per accidens causetur: ergo repugnat quod sit prima causa, et primum principium efficiens.

DISPUTATIO XVIII.

DE CREATIONE RERUM.

ARTICULUS I.

Quid fides doceat circa creationem, et articulum Dei creatoris?

I. Deum creatorem esse totius universi absoluta fides est; imo to-

tius Scripturæ, et fidei initium ab hac creationis notitia incipit, cum inquit Genes. I: *In principio creavit Deus cælum, et terram*: Isai. XL: *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc?* Jerem. XXXII: *Ecce tu fecisti cælum, et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento*: et II Macchab. VII: *Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in ea sunt, et intelligas, quia ex nihilo fe-*

cit illa Deus, et hominum genus: et Paulus Actorum XVII: *Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt*. Et passim in Scriptura vocatur Deus factor cæli, et terræ, et omnium. Unde tamen in symbolum fidei articulus hic relatus est, dum dicitur: « Credo in Deum Patrem omnipotentem factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium; » et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, in c. Firmiter, de summa Trinitate, definitur: « Deum sua omnipotentia virtute in initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spirituales, et corporales, angelicam videlicet, et mundanam, etc. »

Cæterum licet hæc veritas fidei ita stabilita sit, fuerunt tamen plurimi errores tum antiquorum philosophorum, tum hæreticorum qui illam evertere conati sunt, quos refert S. Thomas opuse. V et VI, et opuse. XXIII, et II contra gentil. c. XVI et XXXI, et in II, dist. I, qu. I, art. I et V, et in præsentibus qu. XLIV et XLV, et seqq. Ad tria autem capita possumus errores omnes reducere in hac parte.

Primum est, circa ipsam creationem ex nihilo, quam aliqui negaverunt, præsertim ex antiquis philosophis apud quos erat tritum proloquium: Ex nihilo, nihil fieri, et ita materiam aut materialem causam æque videntur associasse efficienti.

Secundum est, circa res productas, in quibus aliqui non omnia a Deo esse facta, aut non ab uno primo principio, sed a diversis, aut non immediate ab ipso, sed mediatis Angelis plura esse facta, aut non ex primaria intentione omnia, sed ex accidenti aliqua esse facta dixerunt.

Tertium est, circa circumstantiam temporis, quia multi dixerunt non in principio temporis, sed ab

æterno fuisse mundum, aut creationem ejus. Unde fides catholica in his tribus maxime explicat articulum Dei creatoris, scilicet quod sit unus creator omnium, quod ex nihilo creaverit, quod non ab æterno, sed in initio temporis.

II. Igitur circa primum, scilicet circa creationem rerum prout ex nihilo, erraverunt præcipue antiqui philosophi. Qui communiter convenientes in illo principio quod ex nihilo nihil sit, cogebantur ponere materiam aliquam esse increatam. Sed quia in materia corporali transmutationes fieri videmus, hærebant valde, et dividebantur, in assignando principio, seu causa istarum transmutationum: si enim materia esset increata, quis haberet potestatem ad eam transmutandam? Et divisi sunt in tres classes.

Primo, dixerunt aliqui ut Democritus, et Epicurus, non esse querendam causam per se harum diversitatum, et transmutationum, sed casu, et fortuna ex plurium corporum concursu resultasse; et sic non oportere aliam causam assignare, quam materialem, scilicet ipsam pluralitatem corporum, quia corpora pro materia agnoscebant, ponentes materiam esse aliquid sensibile, et actuale, transmutationes autem solum esse accidentales.

Secundo, alii assignaverunt aliquam causam agentem harum transmutationum, sed tamen adhuc supponendo, quod substantia corporum creata non erat, sed primum principium, sed tamen transmutationes, segregationes, et divisiones, quæ in ea dantur, et accidentales solum esse putabant, et secundum ea quæ apparent, dicebant ex aliquo agente, sicut Empedocles posuit tamquam prima agentia duo con-

traria, scilicet amicitiam, et litem, et Pythagoras bonum, et malum, unde postea repullulavit error Manichæorum de duobus primis principiis, altero bono, altero malo. Alii etiam posuerunt hanc segregatorem, et mutationem rerum fieri ab aliquo intellectu sicut Anaxagoras, qui primus inter philosophos posuit quoddam incorporale principium, scilicet intellectum, licet cum aliis naturalibus philosophis poneret principia rerum corporalia, et infinitas partes minimas, ex quibus res fiebant, ut dicitur i physic. et S. Thomas refert opusculo xv, c. i.

Tertio, tandem aliqui agnoverunt transmutationem substantialem, et materiam quæ susciperet substantiales formas, sicque fieret substantialis generatio, sed non pervenerunt ad cognoscendam creationem ex nihilo, quia ipsam materiam factam et creatam esse non perceperunt, judicantes certissimum esse illud axioma: Ex nihilo nihil fieri. Unde quodcumque factum debet supponere aliquid ex quo fiat; et sic etiam primum agens debet supponere materiam, non facere. Et hæc fuit sententia Anaxagoræ et Platonis, qui posuerunt pro primis principiis materiam, et agens, sed quod ipsum agens non erat principium materiæ, sed supponebat eam. Plato autem addidit tertium principium ad illa duo, scilicet ideas, seu exemplaria, quorum nullum erat causa alterius; et per hæc tria, dicebat causari mundum, et res ex quibus constat mundus. Ita sumitur ex D. Thoma in ii, dist. i, q. i, art. i, et in opusculo v, in explicatione articuli creatoris, et hic quæstione XLIV, art. ii. Verum est quod Marsilius Ficinus in compendio Timæi Platonis, cap. ix, et seqq. intendat excusare Platonem ab eo errore, quod materia non sit facta,

sed quod dixerit Plato materiam esse factam a Deo immediatius, quam res cæteræ. Sed tamen D. Thomas non hoc imposuit Platoni: nam hoc ei attribuunt gravissimi auctores, et patres quibus potius credendum est Ficino. Hi sunt Justinus in oratione parænetica ad gentes; Ambrosius lib. i hexameron, cap. xix; Athanasius lib. de incarnatione Verbi in principio; Epiphanius hæresi vii. Videri possunt ex philosophis Philoponus i physic. textu vi, et ibi Themistius textu xxxii, Aleinous lib. de doctrina Platonis, c. ix.

III. Circa secundum caput diversimode a diversis hæreticis erratum est. Nam antiquissimi hæretici, ut Simon magus, et Menander ejus discipulus quod secuti sunt Basilides, Saturninus, Carpocrates, Cerinthus, et denique Gnostici, dixerunt visibilem mundum ab Angelis creatum fuisse, non a Deo ipso, licet variis modis, et fabulis, hoc declaraverint, aut circa hoc deliraverint; de quibus videri possunt patres qui hæreticorum errores, et catalogos adnotarunt, ut Tertullianus de præscriptionibus, c. XLVI, et sequentibus; Theodoretus lib. i hæreticarum fabularum; Augustinus lib. de hæresibus; Epiphanius lib. de hæresibus, hæresi xx, et sequentibus; Irenæus lib. i, c. xx, et sequentibus; Philastrius, Isidorus, Damascenus, et alii. Post hos Cerdon, Marcion, Apelles, et alii, duos ponebant Deos, seu summa principia, unum bonum, alterum malum; et hunc faciebant corporum conditorem, seu visibilis mundi, de quo videri potest Tertullianus lib. de præscriptionibus, c. v, et in libris contra Marcionem. Et hæresi Manichæorum idem communiter tribuitur, qui malum Deum visibilium creatorem constituit, ut videri potest apud Epiphanius hæresi LXVI, et apud Theophylactum in capite vi Joannis, et indicat

Theodoretus lib. i hæreticarum fabularum. Concilium etiam Bracharense i, hoc dogma per plures canones in Machinæo, et Priscilliano damnat, et S. Leo papa epist. xci, vel xciii, ad Toribium episcopum. Quam Manichæorum hæresim repullulasse in Albanensibus, seu Albigensibus contra quos infatigabili studio sanctissimus pater noster Dominicus in partibus Tolosæ, et in Concilio Lateranensi coram Innocentio iii, depugnavit, ut S. Antoninus refert tertia parte historiæ, tit. xix, c. i, licet aliquantulum dubitet, an iidem fuerint Albanenses qui et Albigenses. In Italia autem, præsertim in Insubria hic error valde tunc propagatus est, contra quem valide decertavit, et suo sanguine devicit inclytus ac gloriosissimus pugil S. Petrus martyr. Denique Origenes, ut refert S. Thomas opusc. xxiii, et in præsentii quæstione XLVII, art. ii, posuit Deum primo creasse creaturas spirituales, easque æquales, deinde ob peccata quorundam fabricasse mundum visibilem, et corporeum, cujus creaturis alligavit spirituales peccantes, et hac occasione quasi in pœnam peccati fuisse conditum visibilem mundum.

IV. Circa tertium fuit error multorum philosophorum, qui posuerunt mundum ab æterno, licet differenter, et non uno modo id asseruerunt: aliter enim processerunt quidam philosophi ante Aristotelem, aliter Aristoteles ipse. Nam ante Aristotelem quidam posuerunt res aliquas fuisse ab æterno, sed per infinitum tempus quievisse, et fuisse sine motu, et postea per intellectum cœperunt moveri extrahentem, et segregantem unum ab alio, quæ fuit opinio Anaxagoræ. Alii vero dixerunt ita esse generabile totum hoc universum, et corruptibile, sicut quælibet pars illius,

et consequenter semper aliquid supponi debere ex quo generatio fieret totius, quod utique æternum esset, quæ fuit opinio Empedoclis. Alii dixerunt quod ab æterno non solum erant res, sed etiam motus earum, inordinatus tamen, et confusus: fuit autem in ordinem redactus vel casu ut Democritus dixit, vel ab agente divino, et ideis ut Plato, ut dicitur in tertio de cælo. Alii vero ut Aristoteles, et qui eum in hoc sequuntur, posuerunt res esse ab æterno sub eo statu, et in eo modo generationis, et motus quo nunc sunt. Ita refert S. Thomas in ii, dist. i, q. i, art. v.

QUID FIDES IN HAC PARTE PROBET,
QUID RATIO?

V. Contra hæc tria, docet catholica fides id quod jam supra diximus de Deo creatore.

Primum, quod detur vera creatio ex nihilo.

Secundum, quod omnia tam invisibilia quam visibilia Deus unus creaverit, nec ab alio aliquid creatum sit tamquam a summo principio.

Tertium, quod non ab æterno, sed ab initio temporis creatus sit mundus.

Et quidem licet omnia ista tria definita sint in concilio Lateranensi sub Innocentio iii, ut constat ex c. Firmiter super citato, ubi definitur quod: « Deus est creator omnium visibilium et invisibilium, spirituum et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam: » licet, inquam, ista tria in hac definitione contenta

sint, eadem tamen ex ipsa Scriptura apertissime constat, non solum quia Scriptura nomine creationis utitur attribuendo Deo creationem omnium, ut cum dicitur: *In principio creavit Deus cælum, et terram*: Ecclesiast. XVIII: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*: et cap. XXIV: *Tunc præcepit mihi creator omnium, etc.* Sed etiam, quia expresse addit Scriptura de nihilo fecisse hæc; et licet hoc non exprimeret, tamen dicendo quod creavit omnia, et fecit omnia hoc ipso dictum manet quod ex nihilo fecit, quia ultra omnia nihil est. Unde non facimus vim in sola proprietate verbi creandi, quod in rigore significat productionem ex nihilo, aliquando tamen sumitur laxiori significatione, qua etiam utitur Scriptura pro quacumque productione, etiam quæ non producit substantiam ex nihilo, quod solum pertinet ad rigorosam creationem, ut cum dicitur Isai. XLV: *Ego Dominus formans lucem, et creans tenebrarum pacem*: Psalm. L: *Cor mundum crea in me Deus*: ad Ephes. II: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*, sed tamen productionem ex nihilo aperte ipsa Scriptura ponit II Macchab. VII: *Peto nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quod ex nihilo fecit illa Deus: et hominum genus*. Et hoc pertinet ad primum punctum creationis ex nihilo. Ad secundum pertinet quod Deus ipse creaverit omnia: ex hoc autem constare potest quod si omnia creavit, nihil ab alio creatum est, et iterum quod necesse est aliquid fieri ex nihilo. Hæc duæ consequentiæ patent, quia si Deus creavit omnia: ergo nihil ab alio creatum est, alias si alter creavit aliquid, non potuit Deus omnia creasse. Et iterum si creavit omnia: ergo nihil præsupposuit non factum a se: ergo ne-

cesse est aliquid esse factum ex nihilo, quia si esset factum ex aliquo, de illo aliquo inquiram an sit factum, an non. Si non est factum: ergo non omnia sunt facta ab ipso aut illud erit Deus, et ens a se. Si est factum: ergo vel iterum ex alio; et sic erit processus in infinitum, quod non potest admitti, vel erit ex nihilo; et sic est intentum. Circulus autem non potest admitti, ut scilicet unum fiat ex aliquo, et istud ex illo, aut quod aliquid fiat de substantia ipsius Dei. Nam si unum fit ex alio, non potest habere esse ex illo nisi supponatur existens id ex quo fit, aut alias esset ex nihilo. Illud vero si existens supponitur, non potest fieri cum existens sit; si vero existens non sit: ergo ex illo ut existente non est factum aliud. Præterquam quod in materia prima hoc verificari non potest: cum enim sit primum subjectum, ex nullo alio tamquam ex subjecto fieri potest. De substantia autem Dei fieri aliquid non potest tamquam ex subjecto: sic enim transmutaretur, essetque subjectum formarum, componeretque cum forma creata, quod totum absurdum est in Deo ponere. Quare hoc ipso quod dicitur Deus creasse omnia, tacite dicitur ex nihilo creasse. Antecedens vero, scilicet quod dicat Scriptura Deum creasse omnia passim in Scriptura reperitur, ad Heb. III: *Qui autem omnia creavit Deus est: et c.* I: *Portans omnia verbo virtutis suæ*: Joan. I: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*: ad Coloss. I: *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælo et in terra, visibilia et invisibilia, et omnia in ipso constant*. Et alia multa loca sunt quæ supra citavimus. Ex quibus etiam deducitur Deum solum esse creatorem, et de facto creasse sine alicujus consortio: dicitur enim creasse omnia, et nulli alii attribuitur ratio, et potestas

creandi, imo dicitur Isai. XLIV: *Ego Dominus faciens omnia, extendens cælum solus, stabiliens cælum, et nullus mecum*. An vero alicui creaturæ communicabilis sit potestas creandi vel tamquam causæ principali, vel tamquam instrumento, disquiretur articulo quarto sequenti.

VI. Denique tertium, scilicet mundum factum esse in tempore, constat ex illo Genes. I: *In principio fecit Deus cælum, et terram*; constat etiam non semper fuisse mundum, et sic non esse æternum: Psal. LXXXIX: *Præquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis*: Proverb. VIII: *Ab antiquis ordinata sum antequam terra fieret, nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram*: Ecclesiast. XXIV: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*: Joan. XVII: *Clarifica me Pater claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te*. Ipsa etiam mundi constructio per dies numeratur, quod pertinet ad successionem temporum, et non ad æternitatem, poniturque ibi numerus dierum finitus, quibus Deus operatus est mundum, Exodi XX: *Sex diebus fecit Deus cælum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et die septimo requievit*: et Genes. II: *Complevit Deus die septimo opus suum*: ergo initium temporis habuit creatio mundi, quia finitus dierum numerus computatur usque ad completionem totius operis: ergo initium illius fuit septem diebus ante: ergo incepit mundus in tempore, et illud in principio vincitur ex ipso textu esse initium temporis, quia datur terminus hujus constructionis, scilicet septimus dies.

VII. Si quæras an aliquid istorum ratione naturali possit probari, respondetur illud primum, scilicet creationem ex nihilo ostendi posse ratione naturali, similiter et secun-

dum, scilicet quod omnia a Deo creata sint. At vero tertium, scilicet de inceptio in tempore non potest dari demonstratio sufficiens ex ratione naturali. Utraque pars est D. Thomæ et primam expresse affirmat in II, dist. I, q. I, art. II, ubi inquit, quod: « Creationem esse non tantum fides docet, sed etiam ratio demonstrat. » Idem sumitur ex his quæ docet in hac quæstione XLIV, a. II, ubi ostendit materiam primam factam esse a Deo, quod stare non potest, nisi demonstretur dari creationem ex nihilo, quia remota materia, quæ est ultimum subjectum, non restat aliquid ex quo res fiat. Et q. XLV, a. I et II ostendit dari creationem ex nihilo, et ad Deum pertinere talem creationem. Et idem ostendit II contra gent. c. XV et cap. XXI et similiter in quæstione III de potentia, art. III. Sumitur autem præcipua, et fundamentalis ratio ex hoc, quia creatio est productio ex nihilo, sed necesse est ponere aliquam productionem ex nihilo: ergo et creationem. Minor probatur, quia si non poneretur aliqua productio ex nihilo omnis productio esset ex aliquo ente præsupposito, sed ex hoc sequeretur vel processus in infinitum in causis, et effectibus, vel quod aliquid ens extra Deum non sit factum, neque creatura, quorum utrumque est aperte falsum: ergo necesse est ponere creationem ex nihilo. Sequela probatur, quia si omnis productio, et processio rerum est ex aliquo præsupposito, de quocumque præsupposito inquiram an sit ex alio, an ex nihilo, an a se: nec enim est dare medium. Si a se, non est factum, neque creatura; et sic vel erit Deus, vel nihil, quia omne ens vel est creatum vel increatum. Si ex nihilo, habemus intentum quod datur processio alicujus rei ex nihilo. Si ex alio, de illo alio ex quo est, rursus inquiram an sit

factum ex alio, vel ex nihilo, vel habeat esse a se; et sic vel devenimus ad aliquid, quod ex nihilo sit, vel procedemus in infinitum. Nec potest admitti circulus in istis effectibus, ita ut dicamus unum esse ex alio, et illud aliud esse ex isto: id enim manifestam implicationem involvit, ut supra ponderavimus, quia sic idem præsupponeretur esse, et non esse respectu ejusdem, præsupponeretur esse, ut ex illo fiat hoc, et præsupponeretur non esse, ut illud fiat ex hoc. Multo minus potest dici quod res fiunt ex substantia Dei tamquam ex subjecto præsupposito, cum repugnet Deum esse subjectum transmutationis, et susceptivum formarum.

VIII. Quod vero utrumque consequens sit manifestum, absurdum, et implicatorium probatur, quia processus in infinitum in causis impedit causationem determinantum effectuum: si enim ut producat hic effectus numero, qui modo fit, v. g. hic ignis, hoc animal, necesse est præcedere infinitas materias, nunquam potest designari aliqua quæ inceperit: ergo neque effectus iste hic, et nunc incipere poterit. Patet consequentia, quia ea a quibus dependet hic effectus, ut incipiat, nunquam inceperunt, sed quocumque dato aliud prius, et prius fuit ante sine principio: ergo ut iste effectus incipiat, semper restat aliquid accipiendum: ergo nunquam verificabitur quod incipit iste effectus: semper enim aliquid deest ut incipiat, quia semper restabit aliquid accipere ex requisitis ad incipiendum, cum sint infinita prius quam hoc fiat, de quo videri possunt quæ diximus circa similem rationem ad probandum dari unam primam causam, primumque motorem, præcedenti tomo, quæst. II, disp. III, art. II. Si enim processus in infinitum admittitur in causis, cessat demons-

tratio qua probatur dari Deum: ergo si ex eodem principio probatur debere dari creationem, tam demonstrabile est creationem dari, quam Deum. Quod vero sit inconveniens quod deveniatur ad aliquod subjectum primum, quod a Deo non sit factum patet, quia sic Deus non esset omnium rerum creator, ac per consequens nec omnipotens, quia non posset omnia, nec primum ens, quia non omnia entia essent ex participatione ab ipso. Et ulterius, illud subjectum vel esset ens potentiale, et limitatum, vel infinitum, et actus purus. Si hoc secundum, esset Deus, et a se, atque adeo non posset esse subjectum primum ex quo alia fierent, quia subjectum hoc debet esse transmutabile, et consequenter potentiale, et non actus purus. Si primum: ergo haberet esse limitatum, et finitum, et consequenter ab alio, et non a se: ergo esset ens creatum.

IX. Ex quo sequitur eadem ratione probari Deum creare ex nihilo, et esse factorem omnium. Sequitur etiam materiam primam esse a Deo, et non aliquid non factum, et præsuppositum. Patet hoc, quia necesse est ponere quod materia prima non sit purum nihil, sed ens reale, utpote susceptiva formarum substantialium, et compositiva cum forma, tamquam cum altera parte totius compositi, et capax existentie realis mediante forma, necesse est etiam ponere quod sit ens reale extra Deum, et ens participatum, utpote ens potentiale, et non actus purus: et similiter quod a Deo, in quantum primum ens, participatur, et derivatur omne ens extra se limitatum, et creatum: ergo oportet ponere quod materia prima sit derivata a Deo, utpote ens participatum, et non a se, alias esset actus purus; si autem participatum est, utique a primo ente, et a primo prin-

cipio participari debet, a quo est omne ens quod quoquo modo participat esse.

Statim vero se offerebat difficultas, quomodo materia prima creetur a Deo ex nihilo, cum non sit creabile, nisi ens subsistens, et habens esse per modum totius, ut docet S. Thomas in hac quæstione XLV, a. IV, et nos dicemus infra articulo tertio, imo ex hoc consurgit difficultas, quomodo corpora creari possint, cum consentent ex duabus partibus, quarum neutra creari potest, et una supponitur ad aliam et totum resultat ex ipsis; et sic ipsum totum supponit aliquid, nempe partes; et sic non videtur fieri ex puro nihilo. Sed de hoc commodius ibi tractabitur. Sufficit modo dicere quod materia prima non creatur per se seorsum, sed ut conjuncta formæ, et sub illa, quia sic creatur sicut habet esse, non autem habet esse nisi sub forma; et ideo creatio materiæ semper attingit illam, ut de facto subjectam alicui formæ, ita tamen materia sublunaris formæ subicitur quod manet in potentia ad alias, potestque successive per generationes acquirere novas formas, et exuere alias, etiam primam, sub qua creata est, quia esse materiæ, ut correspondet creationi, est solum esse potentiale, quod in actum reducibile est per diversas generationes, quibus diversæ formæ introducuntur, et reducunt illam potentialitatem in actum: et sic actuale esse quod habet materia, modo non dependet a creatione, quia hoc actuale esse variatur juxta variationem formarum; sed potentiale esse non potest haberi nisi in vi actionis creativæ, quæ prout tangit materiam est partialis creatio, seu con creatio. Sed quia potentiale esse non potest sine aliquo actuali in rerum natura inveniri, oportet quod illud esse potentiale, seu capacitas quam habet materia

ad omnes formas, et ad esse actuale illorum quando primo producat sub aliqua forma a Deo producat, quæ sub illam actionem creativam tunc cadat, et cum materia concreatur; ita tamen creatur sub illo esse, quod non accipit illud ut adæquatum, sed ut mutabile, et per aliam formam, cujus etiam est capax subrogabile, eo quod plurimum capax producat, et non tantum illius primæ, sub qua fuit creata.

Secundam vero partem hujus nostræ assertionis, scilicet quod non sit demonstrabile per rationem naturalem mundum factum esse in initio temporis, docet S. Thomas in præsentis quæstione XLVI, art. II et in II, dist. I, quæst. I, art. V. Et supponit quod etiam stando in ratione naturali non potest demonstrari quod mundus sit ab æterno, nec rationes Aristotelis id efficaciter probant, ut ostendit S. Thomas citata quæstione XLV, art. I, easque solvit, imo, ut ibi ostendit, Aristoteles circa æternitatem mundi præcipue intendit destruere quorundam philosophorum positiones, qui ponebant mundum inceperit quibusdam impossibilibus modis, et veritati repugnantibus; quod vero de facto ab æterno mundus fuerit, nusquam demonstrative probavit, imo inter problemata dialectica id numerat in libro primo topicorum, cap. IX. Hoc ergo supposito, quod revera ita est, quod non possit dari demonstratio, nec ratio aliqua probans mundum esse ab æterno, cum id non possit deduci ex quidditate ipsa, et natura mundi, nec ex necessitate Dei agentis, sed ex voluntate ejus pendeat, per quam factus est mundus, consequenter neque demonstrari potest per rationes naturales quod in tempore inceperit, vel in quo tempore, quia res ista omnino dependet ex mera voluntate Dei libera: de libero autem ut li-